

BIBLIOTHECA

F. LUCII FERRARIS.

G

GABELLA, GABELLARIUS.

SUMMARIUM.

1. Gabella unde dicta? — 2. Gabella, Dacia, Talea, Passagium, Pontivegium, Guidagium, et hujusmodi sunt species certi tributi, et exactionis, et precipuorum horum tributorum, et exactionum nomina, et significata hic recensentur. — 3. Appellantur istae exactiones, seu contributiones, aliquando tributum, et quare? — 4. Tributum stricte sumptum quid sit? — 5. Tributum dividitur in ordinarium et extraordinarium, et quid sit utrumque? — 6. Tributum adhuc dividitur in tributum, quod imponitur personis, et in tributum, quod imponitur rebus. — 7. Aliquando Vectigal, et quid sit? — 8. Aliquando Portorium, et Portorium, et quid sit? — 9. Aliquando Guidagium, seu Pedagium et quid sit? — 10. Aliquando Census, et quare? — 11. Aliquando Collectæ, et quare? — 12. Aliquando Præstantiæ, et quare? — 13. Aliquando Stipendium, et quare? — 14. Aliquando Gabella et quid sit? — 15. Dicta nomina licet ad diversa tributa significanda imposita sunt, usu tamen confunduntur, et hic nomine *Gabellæ* intelligimus quodcumque tributum seu quascunque exactiones, quocumque nomine appellentur. — 16. Ad justitiam Gabellarum tres potissimum conditiones requiruntur. — 17. Assignatur prima Conditio. — 18. Assignatur secunda Conditio. — 19. Si causa sit perpetua, perpetua etiam potest imponi Gabella; si vero causa sit solum temporalis, et transitoria, ea cessante, debet etiam cessare Gabella. — 20. Assignatur tertia conditio. — 21. Imponentes Gabellas novas sine dictis conditionibus præter restituendi obligationem, incurrunt excommunicationem. — 22. Assignantur plures casus, in quibus Principes non solum gravissime peccant, sed etiam ipso facto Excommunicationi subjacent, et ad restitutionem tenentur. — 23. Defraudantes Gabellas peccant pro materiæ quantitate graviter, vel leviter, et ad restitutionem tenentur. — 24. Subditi, et quicumque

(1. Gabella descendit a *Gabbia*, voce Syriaca significante Publicanos, qui conducebant vectigalia exigenda, et Ministros eorum; apud Romanos quidem functionem honestissimam, quæ non nisi equestri Ordini conferri soleret; apud Judæos autem, et Græcos infensissimam, et plane invidiosam, ut eorum libertati contrariam; Spondan. ann. 31, n. 26; Nicol. in Flosculis, verb. *Gabella*, num. 1. (2. Gabella. Dacia, Talia, Passa-

FERRAR. IV.

alii negotiatores secundum graves doctores obligantur in conscientia solvere Gabellas antequam petantur ab Exactoribus. — 25. Affertur ratio pro nostra conclusione. — 26. Non solum subditi, sed etiam exteri tenentur ad solvendas justas Gabellas. — 27. Emens ab eo, a quo seit defraudari Gabellas certo justas, si vere cooperatur defraudationi, tenetur ipse Gabellam solvere pro Venditore, secus si non cooperetur. — 28. Quando certe, aut satis probabiliter constat Gabellas in toto, vel ex parte injuste esse impositas, tunc potest quis eas, vel ex toto, vel ex parte subterfugere, et defraudare. Imo potest insuper uti occulta compensatione, casu quo in foro externo cogeretur ad solvendum. — 29. Quando est dubium de justitia Gabellarum, sive dubium sit negativum, sive positivum, non datur in conscientia obligatio eas solvendi. — 30. Affertur, et solvitur instantia. — 31. Affertur consilium gravium doctorum pro praxi Confessariorum. — 32. Gabella antiquitus solvebatur ob translationem cadaveris de uno loco ad alterum, et id duravit apud Romanos usque ad tempus Imperatorum Valentiniani, Theodosii, et Arcadii. — 33. Prædicti Imperatores Gabellam abstulerunt. Unde nunc de jure communi, quando corpora transferuntur de uno ad alterum locum, ut ibi tumulentur, in transitu per Oppida, vel Parochias, seu in pontibus Vectigal, seu Portorium, seu quacumque aliam Gabellam nullimode exigere licet. — 34. Idem dicendum de Parochis prætendentibus aliquam portionem, seu stipendium percipere in translatione cadaveris per ipsorum Parochias. — 35. Gabellarii, seu Dohane ii, exigentes Gabellam in excessu, tenentur ad restitutionem, et possunt puniri. — 36. Neque consuetudo præterita excusat. — 37. Reliqua usque ad n. 61 satis summarie referuntur in Decretis adductis. — 62 ad 65. De Gabella sine Beneplacito Apostolico imposita venditoribus laicis super rebus ad victum necessariis.

gium, Pontivegium, Guidagium, et similes voces, quæ apud Italos sunt species certi tributi, et exactionis, nemo ignorat esse ab interpretibus e trivio sermonis Italici collectas; Lexicon Calvini, verb. *Gabella*. Unde quia multi sunt modi exigendi tributa, et hæc variantur ex personis, a quibus exiguntur, ex rebus, de quibus solvuntur, ex titulis, propter quos petuntur, ex tempore, ex loco, ex quantitate et aliis pluribus circum-

1

stantiis; ideo innumera videntur esse genera tributorum veterum et novorum, quorum præcipuorum nomina, et significata ad uberiorem notitiam hic recensentur.

(3. Appellatur igitur istæ exactiones, seu contributiones aliquando *Tributum*, sic dictum a contributione, vel ex eo quod militibus tribuatur; Ulpian. *de Verbor. significat.* lib. 77, in fine, et Festus lib. 17, Lexicon Calvin. verb. *Tributum*. Unde tributa, postquam Augustus cum populo provincias partitus est, appellari coepta sunt, quæ bello victæ Provinciæ populo quotannis pendebant; Lexicon Calvin. loc. cit. (4. *Tributum* strictè sumptum est pensio, quæ subditis imponitur Principi solvenda ad hoc, ut statum suum tueri, et communibus utilitatibus, ac necessitatibus congrue prospicere possit; Est in re communis. (5. Dividitur in ordinarium et extraordinarium. Ordinarium est, quod singulis annis ad dictum finem ex lege nova vel antiqua in certa quantitate solvitur. Extraordinarium est, quod non in singulis annis, nec aliis certis, ac determinatis temporibus, sed ingruentibus extraordinariis necessitatibus, ex mandato Principis juxta determinationem ejusdem a subditis solvi debet; prout plerumque fit tempore belli. Hujusmodi extraordinaria tributa alias vocantur Exactiones, Talia, seu Taleæ, ita ut horum omnium nomine aliud non significetur, quam extraordinaria pensio, seu *Tributum*; ut Alciat. super verb. *Extraordinarium* in l. *Placet, de Sacrosanct. Ecclesiast.* Calvin. in Lexico Juridic. verb. *Talea*, ubi etiam dicit, quod Talea pro exactione est barbarum prorsus vocabulum, natum e schola imperitorum Latinitatis, cui multa id genus similia debemus. (6. *Tributum* adhuc subdividitur in duo membra. Unum est, quod singulis personis, seu capitibus nulla habita ratione facultatum ponitur, et *capitatio* vocatur, cujus impositio modica solet esse, cum a singulis etiam minimæ fortunæ famulis et famulabus præstetur. Alterum vero, quod secundum æstimationem bonorum, quæ quis possidet, taxatur et imponitur; leg. 3. ff. de Censibus, leg. 42. ff. de Pact. leg. 32, in fine *de Usufructu*.

(7. Aliquando *Vectigal*, quod est id, quod rebus Civitatis invecitis, vel evectis publico solvitur, Alciat. in *commentar.* ad leg. inter publica, ff. de Verb. signific. Calvin. in cit. Lexico, verb. *Vectigal*. Vectigalium jus proprie dicitur redditus, qui Principi, vel Reipublicæ pro evectone, et invectione mercium in compensationem salvi conductus, ac reparationem viarum, ac pontium in certo loco penditur; ita cum aliis Calvin. loc. cit. (8. Aliquando *Portorium*, et hoc Vectigal est, non tantum, quod in portu, sed et quod in transitu pontis pro exportandis mercibus solvitur; l. 203, ubi vide Gæddeum, ff. de Verb. signif. l. 3. Cod. *de Vectigal.* l. 60, § 1, ff. locat. unde publicani, qui hoc Vectigal redemerunt, Portitores dicuntur; *Portorium* rerum venalium dixit Cic. in *Pison.* et cum aliis Calvin. in cit. Lexico, verb. *Portorium*. (9. Aliquando *Guidagium*, et est illud, quod

transeuntes dant pro salariandis illis hominibus, qui secure deducunt per loca, vel alias loci securitatem præstant; Glossa in cap. *Quaquam*, in princ. de censib. in 6, quod idem strictè loquendo significat *Pedagium*. *Guidagia* enim sunt quasi *Pedagia*; cap. in citat. cap. *Quaquam*, de censibus in 6. Calvin. *Super quibusdam 26 de Verb. significat.* Joan. Andr. in cit. Lexico verb. *Guidagia*, Schardius verb. *Pedagium*. Unde capiens *Pedagium*, seu *Guidagium* debet dare saluum conductum, et territorium ejus tenere securum, adeo ut teneatur ad resarciendum damnum, si transeuntes a raptoribus, vel aliis vias infestantibus, damnum patiantur; Calvin. in cit. Lexico verb. *Pedagia*, cum Archidiacono, et Baldo ibi citat. Schardius verb. *Pedagium*, Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 39, num. 39, et alii. *Guidagium*, seu *Pedagium*, est quod datur alicui pro secure conducto transeundi per terram alicujus; c. *de Raptoribus* 36. part. 3. Calvin. loc. cit. verb. *Guidagium*. (10. Aliquando *Census*, quia censebantur singulorum facultates ad ejus solutionem; Card. de Lugo de Just. et Jure disp. 36, num. 2. (11. Aliquando *Collectæ*, quia colliguntur a singulis, (12. seu *Præstantia*, quia præstantur; Lugo loc. cit. (13. Aliquando *Stipendium*, quia per stipes colligitur; Lugo loc. cit. (14. Aliquando *Gabella*, et est illud tributum, quod in Civitatibus, et Pagis pro certis rebus, vino, cerevisia, frumento, carnibus, vel aliis mercibus solvitur; Calvin. in citat. Lexico Juridic., verb. *Gabella*. (15. Dicta tamen nomina, licet ad diversa tributa significanda imposita sint, usu tamen confunduntur, et uno nomine cætera Tributa, seu Gabellas, Gabellarum Communitatis nominibus significare solemus. Unde hic pro nomine *Gabella* intelligimus quodcumque Tributum, seu quascunque Exactiones quocunque nomine appellentur.

(16. Ad justitiam Gabellarum, Tributorum, et hujusmodi tres potissimum conditiones requiruntur: Communis. (17. Prima est, ut legitima auctoritate imposita sint. Unde Gabellas, Tributa, et hujusmodi imponere, et exigere possunt soli Principes supremi in terris suis alium Superiorem non agnoscetes, aut ii, qui a supremis Principibus privilegio, aut legitima consuetudine jam præscriptam facultatem has Gabellas, Tributa, et hujusmodi imponendi, consecuti sunt; Communis, ac certa, argum., cap. *Innovamus*, 10, *de Censibus*, etc. *Super quibusdam 25, de verb. signific.* (18. Secunda est justa causa, videlicet Principis decens sustentatio considerato ejusdem statu, dignitate, et meritis in Republicam: Necessitas, seu magna utilitas communis Reipublicæ: Expunctio debitorum pro communi necessitate, seu utilitate Reipublicæ contractorum, et hujusmodi; Communis. (19. Si causa necessitatis, vel utilitatis sit perpetua, v. g. conservatio murorum, pontium, custodia civitatis, et hujusmodi, perpetua etiam potest imponi *Gabella*, Tributum, et hujusmodi. Si vero causa sit solum temporalis et transitio-

ria, ut defensio contra hostem tempore belli, reparatio destructorum per hostes, et hujusmodi, tunc ea causa cessante, debet cessare etiam *Gabella*, Tributum, et hujusmodi; Communis, ac certa. (20. Tertia conditio est modus debitus imponendi Gabellas, et Tributa, ut videlicet exactio, seu contributio non sit nimia, sed moderata, et juxta mensuram causæ vel necessitatis, ob quam contribui debet, et secundum proportionem facultatum singulorum, ut non alii plus, alii minus graventur, quam justum sit; Communis.

(21. Imponentes Gabellas novas, nova *Pedagia*, et hujusmodi sine dictis conditionibus, præter restituendi obligationem incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut expressis verbis habetur in § 5 ejusdem Bullæ, ibi: « Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in Terris suis nova *Pedagia*, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi a Jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis imponunt. » (22. Unde hic juvat adducere ad litteram, quæ habet Reiffenstuel lib. 3, Decr., tit. 39, numer. 42, ibi: Colliges, principes non tantum gravissime peccare, sed etiam ipso facto Excommunicationi subjacere, ac insuper ad restitutionem teneri; I. Quoties sine justa causa publica nova Tributa, Vectigalia, Gabellas, vel alias Exactiones, qualitercunque eas baptizent, imponunt subditis. II. Si plus exigunt, quam causa ipsa requirit. III. Si causa justa cessante continuant, nisi nova emergat. IV. Si antiqua Tributa, aut Vectigalia auget, absque justa causa. V. Si antiqua, et extraordinaria Tributa, aut Vectigalia per se jam essent sufficientia ad causam, vel necessitatem præsentem tollendam, peccant etiam. VI. Si nimis, et excessivis luxu, pompa, lusu, conviviis, donationibus, recreationibus, ædificiis, etc., omnino exhauriant æraria, vel etiam debitis Cameram gravent, ut quavis urgente necessitate cogantur statim indicere nova Tributa, Vectigalia, Gabellas, et id genus Exactionum, cum alia antiqua Tributa, et Ærarium ad tollendas similes necessitates, vel omnino sufficientia fuissent, vel certe cum magno sublevamine pauperum multum contribuere potuissent. Et in hoc habent, quod multum attendant consiliiarii et confessarii principum, ne alias vel muti canes, vel adulantes politici, vel displicere timentes, et se, et principes in æternum perdant, simulque miseris subditos plurimis, iisque gravibus oneribus, et exactionibus emungant. Certo severe scribunt de hac materia cuncti doctores: hactenus Reiffenstuel.

(23. Defraudantes Gabellas, Tributa, Vectigalia, et alia hujusmodi peccant pro materiæ quantitate graviter, vel leviter, et ad restitutionem tenentur; est communior, et re ipsa vera sententia DD. et signanter hanc tenent Lugo disp. 35, sect. 4. Lessius, libr. 2, cap. 33, dub. 2, num. 8. Molina, disp. 674. Layman, l. 3, tract. 3, part. 1, cap. 3, num. 5. Covarruv., in cap. *Peccatum, de Regul. Juris* in 6. part. 2, § 5, num. 1 et 5.

Diana part. 1. tract. *de Legibus resolv.* 19. Navarr., in *Manual.* cap. 17.

La Croix, lib. 3, part. 2, num. 269. Sanchez, l. 2, consil., cap. 4. dub. 1, numer. 8. Sporer, tr. 5, in dical. cap. 5, num. 150. Gabriel, Silvest., Cajetan., Medina, Sotus, Sayrus, Corduba, Turrianus, Vega, aliisque congestis, Suarez, l. 5 *de Legibus*, cap. 18. Vasquez *de Restit.* cap. 6, § 2, dub. 2. Alfonso de Castro, l. 1 *de Lege penali*, cap. 9 et 11, ubi dicit, conclusionem adeo esse certam, ut contraria doctrina sit error, Reiffenstuel loc. cit. num. 43, (24. ubi dicit, esse communissimam aliorum contra Angelum, Henricum, Durandum, aliosque satis graves doctores dicentes subditos non obligari in foro conscientiæ solvere ejusmodi Gabellas, et Tributa, antequam petantur ab exactoribus, quia ut volunt ipsi, lex pœnalis non obligat in conscientia nisi ad pœnam post judicis condemnationem; lex autem Gabellarum, Vectigalium, et hujusmodi solvendarum pœnalis est, quia magistratus intentio esse videtur, ut subditi, vel negotiatores, aut Gabellas, et Vectigalia solvant, aut si non solvisse deprehendantur, pœnam solvant, quæ communiter debet esse pœna commissi, caducitatis, seu confiscationis mercis. Nec per hoc derogatur bono communi, nam unus defraudans deprehensus abunde solvet pro viginti occulte elapsis, et hanc sententiam tenent etiam Tabiena verb. *Pedagium* concl. 3, Beja part. 2, cas. 12, et in eandem inclinant Sotus lib. 3, q. 6. art. 7. in fin. Toletus lib. 5. c. 65, et probabilem censet Lessius lib. 2, cap. 33, num. 55, Bonac. *de Restit. disp.* 2, q. 9, punct. 1, num. 3, et alii.

(25. Ratio autem nostræ conclusionis est, quia justitia commutativa obligat semper in conscientia etiam antequam petatur debitum: Justæ autem Gabellæ, justæ Tributa, et Vectigalia sunt debita Principi ex justitia commutativa, tanquam jure naturæ debitum stipendium ad suum statum, et bonum publicum sustinendum, justitia enim commutativa postulat, principi publica onera compensari ab iis quorum gratia sustinet ea, quia *dignus est operarius mercede sua*. Tum quia lex, vel mandatum superioris justum obligat in conscientia juxta certissimam apud Covarruv. in cap. *Peccatum, de Regul. Juris* in 6, part. 2, § 5, num. 1, juxta illud Pauli ad Romanos 13, ibi: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt: itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt.* Adeoque justæ Gabellæ, et justæ tributa, Vectigalia, et hujusmodi præcepta a justa lege principis sunt in conscientia solvenda; tum etiam quia obligatio solvendi gabellas justas, justæ Tributa, Vectigalia, et hujusmodi est de jure divino, adeoque obligat in conscientia; ad Romanos enim cap. 13 dicitur expresse: *Ideo enim, et tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui Vectigal, Vectigal; et Matth. 21;*

Christus ipse, quæstione facta de hac materia, ostenso sibi Numismate census dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Imo non tantum verbo, sed et exemplo, docuit, justas Gabellas, et justa Tributa, Vectigalia, et hujusmodi esse solvenda, dum Matth. 17 pro se et Petro tributum solvit.

(26. Non solum subditi, sed etiam exteri tenentur ad solvendas justas Gabellas, Vectigalia, Pedagia, Guidagia, quia quoad usum Pontium, Fontium, viarum, et hujusmodi, Gabella etiam exteris ideo imposita justificatur, cum ad illorum etiam utilitatem cedat. Sic recte Medina, Suarez, Vasquez, Azorius, Filiucius, alique cum Sanchez d. 45, num. 9. Bonacina loc. cit., num. 4. La Croix lib. 3, part. 2, num. 273. (27. Emens ab eo, a quo scit defraudari Gabellas certe justas, si vere cooperatur defraudationi, tenetur ipse Gabellam solvere pro venditore, quia Gabella est onus reale, quod cum merce transit ad eumentem, et ipse, ratione suæ veræ cooperationis, esset causa damni, adeoque tenebitur resarcire in defectu Venditoris; Communis. Si vero non cooperetur, sed tantum permittat, Molina, Lessius, Bonacina, Dicastil. dub. 9, Sanchez dub. 12, Sporer loc. cit., num. 151 et alii, dicunt non teneri, quia Gabella non est stricte onus reale gravans mercem, sed merx tantum est veluti hypotheca obligata pro Gabella, si fiat excussio, et intentetur actio.

(28. Quando certo, aut satis probabiliter constat, Gabellas, Tributa, et hujusmodi ex toto, vel ex parte injuste esse imposita, tunc potest quis ea, vel ex toto, vel ex parte subterfugere, et defraudare. Imo potest insuper occulta compensatione uti, casu, quo in foro externo, uti ordinarie fit, ad solvendum cogitur; sic Layman, lib. 3, tract. 3, part. 1, cap. 3, n. 5. Molina, disp. 674, Silvester verb. *Gabella* 3, q. 3, art. 14, Reiffenstuel, lib. 3, decretal., tit. 39, n. 43, et post alios Sporer, loc. cit., num. 152, dicens ita pro certo tenere omnes. Et ratio est, quia univique jure naturæ concessum est damnum suum injustum impedire, vel resarcire, quatenus licite fieri potest, in eo autem casu exactiones Gabellarum injustarum, seu quorumcumque injustorum Tributorum subditi patiuntur damnum injustum, quod alia ratione impedire non possunt, nisi subterfugendo solutionem, vel si jam solvere coacti sint, occulte compensando, dummodo serventur conditiones justæ compensationis, ut patet ex dictis verb. *Compensatio*, adeoque, etc. (29. Quando est dubium de justitia

(1). Videat hic prudens lector, num Censores ferre æquo animo possint doctrinam numeris 28, 29 et 30 expositam? Fac enim in dubio de justitia tributorum licere, aut dolo solutionem declinare, aut quidquid solutum sit occulte compensare, ubi tunc principes securi esse poterunt de suis ex solutione tributorum proventibus? Cum enim plerumque justæ causæ, quæ principem ad tributa exigenda movent, occultæ sint, atque populo incognitæ, et cum pauci ex plebe sint homines, qui justam agnoscere, ac decernere tributorum causam valeant; nec aliunde desint qui causa etiam incognita, tribu-

tia Gabellarum, Tributorum, et hujusmodi, sive dubium sit negativum, dum scilicet dubitatur de tali justitia, absque eo, quod sit aliqua ratio probabilis pro, aut contra, sive dubium sit positivum, dum scilicet dubitatur de tali justitia, ex eo quod pro utraque parte sint rationes probabiles, non datur in conscientia obligatio ea solvendi. Ita communior, et verior, ac in praxi tuta sententia, quam tenet Lugo de *Just. et Jure* disp. 36, sect. 6, Sanchez, lib. 2 Consil. cap. 4, dub. 6, Molina, disp. 674, n. 6 et 9, Azorius, par. 3, cap. 22, quæst. 7, Diana, part. 7, tract. 17, resol. 59, Sporer loc. cit., num. 154. Reiffenst. loc. cit., n. 44. Cajet, Silvester, Medina, Armilla, Gabriel, Corduba, et communis fere omnium, teste Cardin. de Lugo loc. cit. arg. cap. *Pervenit 5 de censibus*, et cap. *Quamquam 4*, eodem in 6, et ratio est quia in dubio debiti melior est conditio possidentis, arg. cap. *In pari 65, de Reg. juris* in 6, et ei, qui petit, incumbit probatio debiti. In proposito autem subditus possidet adhuc bona fide res suas, et princeps petit Gabellas, tributa, et hujusmodi, ut sibi debita, adeoque, donec a principe probetur justitia Gabellarum, Tributorum, et hujusmodi, subditus non tenetur solvere.

(30. Nec valet objicere, quod in dubio justitiæ legis, et præcepti præsumendum est pro justitia, et parendum Legislatori juxta communem. Non valet, inquam, quia verum quidem est, quod in dubio justitiæ legis, et præcepti præsumendum est pro justitia, et parendum Legislatori, quando non agitur de ipso Legislatoris interesse proprio, qui tunc præsumi potest partialis, aut quando non agitur de interesse ipsius subditi, seu inferioris, cujus, rem suam possidentis meliori, et potiori conditioni præjudicari non debet. Et in nostro casu præsumptio non stat pro ipso Legislatore, cum, ut patet, agatur de ipsius interesse, et etiam de interesse subditi meliori, et potiori conditione adhuc bona fide res suas possidentis. Tum quia novæ Gabellæ, Tributa, Pedagia, et hujusmodi damnantur, et rejiciuntur tum in Jure civili; leg. *Non solent*, Cod. *Vectigalia nova*; tum in Jure Canonico, cap. *Quamquam 4, de Censibus* in 6, ibi: *Quamquam Pedagogium, Exactiones, tam Jure Canonico, quam Civili regulariter merito sint damnatæ, adeoque solvendæ non sunt, quando de eorum justitia aperte non constat; argum. cap. Pervenit 5, de Censibus*, eo quod contra ipsas Gabellas, Tributa, et hujusmodi militet utrumque jus, tam Civile, quam Canonicum per textus mox citatos (1) (31. Hinc pro

torum injustitiam prædicent, facile erit, si non omnibus, plerisque saltem de tributorum justitia dubitare. Quamobrem pauci semper erunt in Republica homines, qui se ad tributa solvenda obligatos credant. Ubi ergo tunc esset debitum præcepto principis obsequium? Ubi debita eidem subjectio? Nam semel facta populo, ob dubium in ejus mente ortum de tributorum injustitia, libertate, statim princeps veluti tyrannus contemnitur, ac animus debitam ei subjectionem exiit: satius ergo est asserere cum Antoine de justitia et jure cap. 5, qu. 17, in dubio de justitia tributorum solvendam omnino

praxi Confessariorum placet referre consilium. Molina tom. II de *Justitia* disp. 673, num. 9, valde laudatum a Cardinal. de Luca citat., disp. 36, section. 4. numer. 43, a Sporer loc. cit., num. 156, La Croix loc. cit., num. 282, et ab aliis, et est, quod quando evidenter, vel satis probabiliter non constat de justitia Gabellæ, Tributi, et hujusmodi, monendi sunt poenitentes, ut solvant, et non defraudent, ne nimis laxentur habere in præjudicium Reipublicæ, et in spretum legum, et præceptorum Supremorum Principum. Post factum autem, et post jam defraudatas Gabellas, et hujusmodi in ipso dubio, et incertitudine justitiæ ipsarum non sunt cogendi poenitentes ad restitutionem, ne nimis graventur, et illaqueentur animæ, cum ex mille in similibus casibus vix unus restitutionem faciat. Unde ut refert Card. de Lugo loc. cit. et ex ipso Rosignolus de *Restitutione* 1, prænot. XI, sub num. 14, potentissimus Hispaniarum rex Philippus II, ministris conquirerentibus contra fraudantes Gabellas, Vectigalia, et hujusmodi, sic respondit: *Sinite eos, furantur enim de suo.*

(32. Gabella, Vectigal, seu Portagium, quamvis antiquitus solveretur ob translationem cadaveris de uno loco ad alterum, juxta l. *Funeris* 37, ff. de *Relig. et sumpt. fun.* ibi: *Vectigalia*, idque duraverit apud Romanos usque ad tempus Imperatorum Valentiniani, Theodosii, et Arcadii, quapropter bene carpit Romanos Xiphilinus in Nerone, ibi: « Scitis quantum pendamus pro mortuis? Romanis solis etiam mortui vivunt, ut aliquid ex his accipiant, neque enim mori licet apud eos sine tributo, et multa; » Besoldus, de *Ærario publico* cap. 4, § 17, Pancirol., in *Thezauro*, lib. 3, c. 31, Cujacius observ., lib. 5, cap. ult., et lib. 11 observ., cap. 21, Petrus Gregorius de *Republica* lib. 3, cap. 6, a num. 21. (33. Prædicti tamen Imperatores lege lata hæc Vectigalia abstulerunt, liberumque reliquerunt corpora de uno ad alium locum transferre; in l. ult. Cod. de *Relig. et sumpt. funer.* Unde de jure communi loquendo, quando corpora de uno ad alium locum transportantur, ut alibi funerentur aut tumulentur, in transitu per oppida, vel parochias, per quas corpus transfertur, vel in pontibus, Vectigal, seu Portagium nullimode licet exigere, ex d. l. ult. Cod. de *Relig. et sumpt. funer.*, ubi Vectigal pro transferendo corpore de uno ad alium locum percipere expresse interdicitur. Et

esse, « quia in dubio justitiæ debet præsumi pro justo præcepto superioris possidentis jus præcipiendi et exigendi tributa, quod jus est altius, et majus jure, quod habent subditi in bona quæ possident. » Præterea Princeps sæpe habet causas occultas. « Imo etiamsi essent evidenter injusta sive ex toto, sive ex parte, tamen solvenda sunt, cum exiguntur, ad vitandum scandalum, ac perturbationem publicam, ob quam causam quisque juri suo cedere debet. » Hæc quantum ad solutionem: ad compensationem vero quod attinet, satis notum est ex iis quoque, quæ Auctor exposuit ubi de compensatione tractavit, compensationem permitti non posse, nisi in casu certo. Dubium ergo de tributorum injustitia satis non est ad compensationem hujusmodi permit-

sic non posse exigi Gabellam pro extractione, introductione, vel transitu cadaveris, reprobatis contrarium sentientibus, nervose probat Cardin. de Luca de *Regal. disc.* 166, occasione præventionis excitatæ pro cadavere Card. Giberti Borromæi, qui obiit in oppido Neptuni, et transportatus fuit ad Urbem, et in fine testatur ita vivæ vocis oraculo decisum fuisse a S. M. Alexandri VII, occasione ejusdem præventionis Dohaneriarum pro translatione cadaveris infantis Margaritæ de Sabaudia, quæ in Urbe pie decedens Assisii sepulturam elegerat, quem aliis adductis sequitur Add. ad Pamphil., dec. 323, num. 9, Ursaya *Institut. crimin.* lib. 8, num. 40, et late sic etiam tenet cum plurimis aliis Amostaz. tom. II, lib. 6, de *Causis piis*, a num. 40, ubi sub num. 44 subjungit, quod cadavera ad mercimonium trahere, et quæstum de eis percipere odiosum est, cap. *Quæstio* 12, et cap. *Postquam* 13, caus. 13, quæst. 2. (34. Unde nulla valet consideratio, ut simile Portagium, seu Vectigal percipi possit in translatione cadaverum; et num. 45 addit similiter esse dicendum de Parochis volentibus aliquam portionem, seu stipendium percipere ex translatione cadaveris per ipsorum Parochias, hoc enim nullo jure decretum est. Vide verb. *Cadav.*, num. 15, ubi assertur ad id decretum Sacræ Congr. Immunitatis.

(35. Gabellarii, seu Dohanerii, exigentes Gabellam in excessu, tenentur ad restitutionem, et possunt puniri; l. *Locatio alias licitatio* 9, § *Quod illicite*, ff. de *Publicanis*, et l. 3, Cod. *Vectigalia nova*, per quæ Jura deciditur, Publicanum exigentem Gabellam in excessu, et ultra modum, teneri ad restitutionem, quinimo, et puniri posse disponit, textus in l. 4, Cod. *Vectigalia nova*, Bajard. ad Clar., § *Furtum*, Galeot. respons. fiscal. 10, num. 17, cum seqq. Card. de Luca lib. 2, Regalibus, disc. 71, n. 4. (36. Neque consuetudo præterita excusat, quoniam ista tanquam contra legem censenda est potius corruptela, frequenter, et de facili per hujusmodi Publicanos, et Gabellarios, seu Dohanerios induci solita, ideoque ubi etiam, non per ipsosmet, sed per prædecessores introducta esset, id operari posset excusationem a delicto, et poena, non autem a restitutione exacti; Franc. Marc. dec. 421, Fachin. consil. 61, lib. 2, Guittier. de *Gabella*, qu. 3, num. 14, apud quos cæteri. Hinc, ut recte notat Sporer loc. cit., n. 144, cautissime debent procedere Confessarii

tendam. Accedit etiam, doctrinam hanc perniciosam Reipublicæ esse, cum fovendo adversus ipsam occultam compensationem, ad occulta eidem inferenda damna homines alliciat; ut consideranti patet. Ex iis facile etiam est agnoscere, tutam non esse doctrinam num. 31 expositam. Si enim subditi, etsi dubitant de tributorum injustitia, solvere illa tenentur ob superius allatas rationes, cogendi a Confessario sunt ad restitutionem ii qui subterfugiis solutionem declinaverint. Neque enim ex difficultate, quam patitur poenitens ad restituendum, moveri Confessarius debet ad eum absolvendum a restitutione. Confessarius enim Judex est, qui cogere poenitentem debet ad suum cuique tribuendum.